S. CYPRIANVS
DE
BONO PATIENTIÆ

COLLATVS CVM
MS. OXONIENSIBVS,

EDITVS

A IEREM. STEPHANO,
SS. Theol. Bac. cum
ſpicilegio notarum.

Sold
8° C. 60
Th

OXONIÆ,
Apud *Iohannem Lichfield*, Academiæ
Typographum, impenſis *Henrici*
Curteyne. 1633.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

AMPLISSIMO & Celeberrimo viro, GVLIELMO NOYE, Sereniſſimo Regi CAOROLO à Conſiliis forenſibus *Principi.*

NVper libellum S. Cypriani *de vnitate Eccleſiæ* cum MS. collatum ſeorſim edidi: at quùm vnitas ſervari non poteſt abſq; ſummo patientiæ

entiæ ſtudio, meritò nunc germanum fratrem *de bono patientiæ* eidem Comitem addo; nec aliunde mihi quærendum eſt exordium, quàm ab ipſo Cypriano, qui *de patientia locuturus*; *vnde potius incipiam* (inquit) *quàm quod nunc quoq; ad audientiam veſtrã patientiam video eſſe neceſſariam*: tuâ itidem (digniſſime legum myſtes) patientiâ opus eſt, vt quàm munus, animum potiùs reſpicias, gratuſq; accipias, quæ in eundem paucis, at lenitatem tuam ſummopere poſtulantibus, annotaui. Quòd enim te ſub ingenti Regis & Reipub: cauſa

sa sudantem, tenui hoc spicilegio ausim interpellare, venia non sine multa ferri potest. Grande ergo dederis patientiæ tuæ specimen, si bilem non commoverit intempestiva hæc gratitudo, quæ non tam memorem me pro beneficijs pridem elapsis, quàm hoc ipso obæratum magis reddit, quod curas tuas augustiores conturbare nō verear. Verùm molestus malim, quàm ingratus videri, præsertim cum tua erga me beneficia obnoxium me planè reddiderint. Quin etiam cùm sit patientia dilectionis vinculum (vt Cypr.) adeoq; pacis

conſervatrix, quo maximè titulo geſtiunt leges, cui potiùs quàm Iuriſ-peritorum coryphæo, illam cõmendare poſſum. Conſilio ſanè quàm maximo hîc opus eſt & plane tuo; omne ſiquidem vitium virtutem hanc imbellem aggreditur, & quicquid pacem Regis violat, illud ipſum patientiæ vim infert. Succurre igitur Iuris vindex invictiſſime, & clientem hanc protege, quæ te pariter & proteget ac coronabit. Lætiùs tũc ac animoſiùs exibit patientia, nec malignantium ventorum ludibria, nec fluctuantis mundi ſalum timebit, arcam

cam *Noe* ſubitura: vtì verò illa tuo felicior patrocinio, ſic tu illius ſolatio. Illi ſiquidem negotiorum, quâ premeris, moli ſuccumberent prorſus humeri, niſi manum inſereret patientia, tecumq; ſubiret onus. Quoties enim limini tuo circumſtant denſati clientum cunei, qui exeuntem te, modò hac, modò illac comitantur; quoties miſerorum ſupplices libelli, non vno murmure aures tuas verberant, expedire te non poſſet, hâc diſſonâ rerum hominumq; facie, ſcientiæ tuæ abyſſus, niſi par eſſet prudentiæ patientia: hâc comite prætorium cu-

riis fæcundum, ſtellatam ſuo ſenatu cameram, Aulamq; regiam, ſine vllo ſpiritus diſpendio feliciter adeas, adeo vt jure tibi, ſi cui hominum, illud quadret Salvatoris, in patientia tua poſſideto animã tuam: at tuâ nimium & publicâ abuti nolim patientiâ; ſatis ſuperq; negotij tibi olim faceſſere non deſtiti, nunc verò otij, quod tute feciſti mihi rationem, ſimulq; votum pridem ſuſceptum reddo, quod ſi æqui boni conſulas, erit cur patientiam tuam celebrẽ, aliaſq; virtutes eximias, quas Rex Opt. Max. cujus acerrimo judicio, ante

cæteros

cæteros omnes, placuisti, plenis honorum muneribus, sic spero, sic voveo, in ævum per titulos, memoresque fastos æternabit.

Tibi, studio suo, & beneficiis tuis, devinctiss.

IEREM. STEPHANVS.

De

De bono Patientiæ.

Argumentum libri ſequentis.

1. *PAtientiæ encomium, ad Tertulliani imitationem, ſcripturus Cyprianus, ſummam vtilitatem totius tractationis initio proponit adhibito Philoſophorum, patientiæ vmbras perſequentium oppoſito exemplo.*

2. *Deinde ad veræ patientiæ commendationem accedit, prima ratione ab ipſius*

Dei

Dei natura & exemplo desumpta.

3. Alteram rationem proponit, à Christianorum officio, quos Christum audire, & imitari par est: ideo patientiæ Christi exempla perspicua profert, quæ in eius incarnatione & ministerio fit conspicua.

4 Deinde in eo, quòd Iudam & Iudæos hostes infensissimos in vita, in mortis agone, & post resurrectionem, Evangelij persecutores tolerat, atq; nonnullos ex ijs, Paulum nominatim, ad se clementissimè vocat.

5 Ter-

5 *Tertia ratio inde ſumpta quod non modo Chriſti, ſed etiam illuſtrium Dei ſervorum, quia à mundo condito patientiam profeſſi ſunt, Chriſtianos imitatores eſſe conveniat.*

6 *Quarta à neceſſitate patientiæ: ad laborem & miſeriam naſcimur: in miſeria vivimus & luctamur vſq; ad exitum, ergo feras, non culpes, quod vitari non poteſt.*

7 *Quinta ab vtilitate; patientia adiutrice, & comite omnia infeſta toleramus, mala omnia ſuperamus, Coronam obtinemus.*

8 *Pati-*

8 *Patientiæ Commoda eximia persequitur, illa virtus vitia dispellit, & virtutum omnium fida est Custos.*

9 *Sine patientia vitijs resistere & vitæ ærumnas perferre impossibile esse docens, vtilitatem eius magis ac magis demonstrat.*

10 *Ratio sexta est, quod hac virtute iusti ab iniustis discernantur, teste Iobo ac Tobia.*

11 *Septima à collatione inter patientiam & impatientiam instituta: impatientiæ autem exempla ideò proponit, vt Christianus patientiam*

entiam acceptiorem reddat.

12 Octava, varias patientiæ laudes, compendio descriptas continet, vt quæ sit virtutum omnium perfectio.

13 Altera pars libelli, quâ impatientiæ morbum desinit, vindictæ scilicet, ob iniurias à proximis acceptas cupiditatem: huic remedium proponit vltionis diem à domino.

14 Varijs Scripturæ testimoniis Deum suorum vindicem, & impiorum iudicem fore ostendit.

15 Tandem concludit, quum

quum Deus, qui vindicat, nondum ſit vindicatus, & Chriſtus, qui in cælis adoratur, hoſtes ſuos in terra toleret, ſervos Domini non impatientes & vltionis cupidos, ſed patientiæ ſtudioſiſſimos eſſe oportere.

D. CYPR.

S. CYPRIANVS
de Bono patientiæ.

DE Patientia locuturus, fratres dilectiſſimi, & vtilitates eius & commoda prædicaturus; vnde potius incipiam, quã quod nunc quoq; ad (1) audientiam veſtram patientiam video eſſe neceſſariam, vt nec hoc ipſum quod auditis & diſcitis, ſine patientia facere poſſitis. Tunc enim demum ſermo (2) & ratio ſalutaris efficaciter diſcitur, ſi patienter

quod

quod dicitur, audiatur. Nec invenio, fratres dilectissimi, inter cæteras cœlestis disciplinæ vias, quibus ad consequẽda divinitus præmia spei ac fidei nostræ secta dirigitur, quid magis sit vel vtilius ad vitam, vel majus ad gloriã, quam vt qui præceptis dominicis obsequio timoris ac devotionis innitimur, patientiam maxime tota obseruatione tueamur: hanc se sectari Philosophi quoquè profitentur, sed tam illic patientia falsa est, quàm & sapientia falsa est. Vnde enim vel sapiens esse vel patiens possit, qui nec sapientiam, nec patientiam dei

novit

novit, quando de ijs qui ſapere in mundo videntur, ipſe moneat & dicat: perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Item beatus Apoſtolus Paulus plenus ſpiritu ſancto, & vocandis formandiſq; gẽtibus miſſus, conteſtetur & inſtruat, dicens: Videte ne quis vos deprędetur per philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum, quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis. Et alio loco: Nemo ſe, inquit, decipiat: Si quis putat

Eſaie 29.

Coloſſ. 2.

1 Cor. 3.

tat ſapientem ſe eſſe in vobis, mundo huic ſtultus fiat, vt fiat ſapiens. Sapientia huius mundi, ſtultitia eſt apud Deum: Scriptum eſt enim: deprehendam ſapientes in auſtutia eorum. Et iterum: Cognovit Dominus cogitationes ſapientium quia ſtultæ ſunt. Quare ſi ſapientia illic vera non eſt, eſſe non poteſt nec & vera patientia. Nam (3) ſi ſapiens illc eſt qui humilis & mitis eſt, Philoſophos autem nec humiles videmus eſſe nec mites, ſed ſibi multum placentes, & hoc ipſo quòd ſibi placeant Deo diſplicentes: (4) apparet non eſſe illic veram

Iob. 5.
Pſal. 93.

veram patientiam, vbi ſit inſolens affectatæ libertatis audacia, & exerti ac ſemi-nudi pectoris invereciinda jactantia.

Nos autem, fratres chariſſimi, qui Philoſophi non verbis, ſed factis ſumus, nec veſtitu ſapientiam, ſed veritate præferimus, qui virtutum magis conſcientiam quàm jactãtiam novimus, qui non loquimur magna, ſed vivimus quaſi ſervi & cultores Dei, patientiam quam magiſterijs cœleſtibus diſcimus, obſequijs ſpiritualibus præbeamus. (5) Eſt enim nobis cum Deo virtus iſta communis: Inde com-

communis: Inde patientia incipit: inde claritas ejus & dignitas caput ſumit. Origo & magnitudo patientiæ Deo autore procedit. Diligenda res homini quæ Deo chara eſt, Bonum quod amat, divina Maieſtas commendat. Si Dominus nobis & Deus pater eſt, ſectemur patientiam Dei pariter & patris: quia & ſervos oportet obſequentes, & filios non decet eſſe degeneres. Qualis vero in Deo & quanta patientia, quod in contumeliã ſuæ Maieſtatis & honoris inſtituta ab hominibus prophana templa, & terrena figmenta, & ſacra ſacrilega

ga patientissimè sustinens, super bonos & malos æqualiter facit diem nasci & lumen solis oboriri, & cum imbribus terram rigat, nemo à beneficijs eius excluditur, quo minus justis similiter & iniustis discretas pluvias largiatur. Videmus inseparabili æqualitate patientiæ nocentibus & innoxijs, religiosis & impijs, gratias agentibus & ingratis Dei nutu tempora obsequi, elementa famulari, spirare ventos: fontes fluere, grandescere copias messium, fructus mitescere vinearum, exuberare pomis arbusta, nemora frondescere, prata florere.

Et

Et cum crebris imò continuis exacerbetur offensis Deus, indignationem suam temperat, & præstitutum semel retributionis diem patienter expectat. Cumq; habeat in potestate vindictam, mavult diu tenere patientiam, sustinens scilicet clementer & differens, vt si fieri potest, multum malitia protracta aliquando mutetur, & homo in errorum & scelerum contagione volutatus vel serò ad Dominum convertatur, ipso monente & dicente: Nolo mortem morientis, quantum vt revertatur & vivat. Et iterum: revertimini ad me, dicit Dominus

Ezech. 18. *Malach.* 3.

Dominus. Et iterum: Re- *Joel. 2.*
vertimini ad Dominum
Deum veſtrum, quoniam
miſericors & pius eſt, &
patiens & multæ miſerati-
onis, & qui ſententiam
flectit *(6)* adverſus maliti-
as irrogatas. Quòd item
Apoſtolus Paulus com- *Rom. 2.*
memorans, & peccatorem
ad pœnitentiam revocans,
proponit & dicit: aut nun-
quid opulentiam bonitatis
eius & *(7)* ſuſtinentiæ, &
longanimitatis contemnis,
ignorans quoniam patien-
tia & bonitas Dei ad pœ-
nitentiam te adducit? Tu
autem ſecundum duritiam
tuam & cor impœnitens,
theſaurizas tibi iram in die

iræ, & revelationis juſti judicij Dei, qui reddet vnicuiq; ſecundum opera ſua. Iuſtum judicium Dei dixit eſſe, quia ſerum eſt, quia diu multumq; differtur, vt homini ad vitam longa Dei patientia conſulatur. Tunc repræſentatur pœna impio & peccatori, quando iam non ſpoteſt pœnitentia prodeſſe peccanti.

Atq; vt pleniùs intelligere poſſimus, fratres dilectiſſimi, quia patientia Dei res eſt, & quiſquis lenis & patiens & mitis eſt, Dei patris imitator eſt, cum in Evangelio ſuo Dominus præcepta in ſalutem

daret

daret,& divina monita de-
promens (8) ad perfectum
discipulos erudiret, posuit *Levit.*91.
& dixit: Audistis quia di- *Matth.* 5.
ctum est: Diliges proxi-
mum tuum, & odio habe-
bis inimicum tuum. Ego
autem dico vobis: Diligite
inimicos vestros, & orate
pro eis,qui vos persequun-
tur,vt sitis filij patris vestri
qui in cœlis est, qui solem
suum oriri facit super bo-
nos & malos,& pluit super
justos & injustos. Si enim
dilexeritis eos qui vos di-
ligunt, quã mercedem ha-
bebitis? Non-ne hoc &
publicani faciunt? Et si sa-
lutaveritis fratres vestros
tantum, quid amplius fa-

cietis? Nonne Ethnici idipſum faciunt? Eſtote itaq; vos perfecti, ſicut pater veſter cœleſtis perfectus eſt. Sic perfectos dixit fieri Dei filios, ſic conſummari oſtendit & docuit cœleſti nativitate reparatos, ſi patientia Dei patris maneat in nobis, ſi ſimilitudo divina, quam peccato Adam perdiderat, manifeſtetur & luceat in actibus noſtris. Quæ gloria eſt ſimilem Deo fieri, qualis, & quanta felicitas habere in virtutibus, quod divinis laudibus poſſit æquari? Nec hoc, fratres dilectiſſimi, Ieſus Chriſtus & Dominus Deus noſter tantum ver-

verbis docuit, ſed adimplevit & factis. Et quia ad hoc deſcendiſſe ſe dixerat, vt voluntatem patris faceret, inter cætera admirabilia ſuarum virtutum, quibus indicia divinæ maieſtatis expreſſit, paternam quoq; patientiam tolerantiæ tenore ſervavit:(9)omnes deniq;actus eius ab ipſo ſtatim adventu patientia comite ſignantur, quod primum de illa ſublimitate cœleſti, ad terrena deſcendens, non aſpernatur Dei filius carnem hominis induere, vt cum peccator iple non eſſet,aliena peccata portaret.(10) Immortalitate interim poſita fie-

ri se & mortalem patitur, vt innocens pro nocentium salute perimatur. Dominus baptizatur à servo, & remissam peccatorum daturus, ipse non dedignatur lavacro regenerationis corpus abluere : diebus quadraginta jejunat, per quem cæteri saginantur: esurit & famem sentit, vt qui in fame sermonis & gratiæ fuerant, cœlesti pane saturarentur. Cum diabolo tentante congreditur, & inimicum tantum vicisse contentus, nil vltra verba conatur. Discipulis non vt servis dominica potestate præfuit, sed benignus & mitis fraternâ eos charitate

ritate dilexit. Dignatus est etiam pedes Apostolorum lavare, vt dum circa servos talis esset Dominus, exemplo suo doceret, qualis circa compares & æquales debeat esse conservus.

Nec mirandum quòd circa obedientes talis extiterat, *(11)* qui Iudam potuit vsq; ad extremum longa patientia sustinere, cibum cum inimico sumere, hostem domesticum scire, nec palàm ostendere, traditoris osculum non recusare. In Iudæis vero tolerandis æquanimitas quãta, & quanta patientia? Incredulos ad fidem suadendo flectere, obsequio in-

gratos fovere, contradicentibus reſpondere leniter, ſuperbos ſuſtinere clementer, humiliter perſequentibus cedere, prophetarum interfectores & adverſum Deum ſemper rebelles vſq; ad crucis & paſſionis horam velle colligere: ſub ipſa autem paſſione & cruce, priuſquam ad crudelitatem necis & effuſionem ſanguinis veniretur, quæ conuitiorum probra patienter audita, quæ contumeliarum tolerata ludibria? Vt inſultantium ſputamina patienter exciperet, qui ſputo ſuo (12) cæci oculos paulo ante formaſſet: & cuius in nomine

mine nunc à ſervis eius zabulus cum Angelis ſuis flagellatur, flagella ipſe pateretur: coronaretur ſpinis,, qui martyres floribus coronat æternis: palmis in faciem verberaretur, qui palmas veras vincentibus tribuit: ſpoliaretur veſte terrenâ, qui indumento immortalitatis cæteros veſtit: cibaretur felle, qui cibum cœleſtem dedit: aceto potaretur, qui poculum ſalutare propinavit. Ille innocens, ille juſtus, imò (13) innocentia ipſa & ipſa juſtitia, inter facinoroſos deputatur, & teſtimonijs falſis veritas premitur, judicatur judicaturus,

& Dei ſermo ad victimam tacens ducitur. Et cum ad crucem Domini confundantur ſydera, elementa turbentur, contremiſcat terra, nox diem claudat, ſol ne Iudæorum facinus aſpicere cogatur, & radios & oculos ſuos ſubtrahat: ille non loquitur, nec movetur, nec maieſtatem ſuam ſub ipſa ſaltem paſſione profitetur: vſq; ad finem perſeveranter ac jugiter tolerantur omnia, vt conſummetur in Chriſto plena & perfecta patientia. Et poſt iſta adhuc interfectores ſuos, ſi converſi ad eum fuerint, ſuſcipit, & patientia ſua ſalutari ad conſervan-

ſervãdos benignus & (14) patiens Eccleſiam ſuam nemini cludit: illos adverſarios, illos blaſphemos, illos nominis ſui ſemper inimicos, ſi pœnitentiam delicti agant, ſi admiſſum facinus agnoſcant, non ſolum ad indulgentiam criminis, ſed ad præmium regni cœleſtis admittit. Quid poteſt patientius, quid benignius dici? vivificatur Chriſti ſanguine, etiam qui effudit ſanguinem Chriſti: talis eſt Chriſti ac tanta patientia, quæ niſi tanta ac talis exiſteret, Paulum quoq; Apoſtolum Eccleſia non haberet.

Quòd ſi & nos, fratres chariſſi-

chariſſimi, in Chriſto ſumus, ſi ipſum induimus, ſi ipſe eſt ſalutis noſtræ via, qui Chriſtum veſtigijs ſalutaribus ſequimur, per Chriſti exempla gradiamur, ſicut Ioannes Apo-
1. Ioan. 2. ſtolus inſtruit, dicens: Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet quomodo ille ambulavit, & ipſe ambulare. Item (15) Petrus, ſuper quem Eccleſia Domini dignatione fundata eſt, in epiſtola ſua ponit & dicit:
1. Pet. 2. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens vobis exemplum vt ſequamini veſtigia eius, qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore eius, qui cum male-

male-diceretur, non remaledicebat: cum pateretur, non comminabatur. (16) Tradebat se judicanti se iniustè. Invenimus deniq; & Patriarchas, & Prophetas, & justos omnes, qui figuram Christi imagine præeunte portabant, nihil magis custodisse in laude virtutum suarum, quàm quòd patientiam forti & stabili æquanimitate tenuerunt. Sic Abel originem martyrij & passionem iusti hominis initians primus & dedicans, (17) adversus fratrem parricidam non resistit nec reluctatur, sed humilis & mitis patienter occiditur. Sic Abraham Deo credens *Gen. 4. & 22.*

&

& radicem ac fundamentum fidei primus instituens, tentatus in filio non dubitat neq; cunctatur, sed præceptis Dei tota patientia devotionis obsequitur. Gen. 32. Et Isaac ad hostiæ dominicæ similitudinem præfiguratus, quando à patre immolandus offertur, patiens invenitur. Et Iacob fugatus à fratre, de domo sua patienter excedit, & maiore patientia postmodum supplex adhuc magis impium & persecutorem muneribus pacificis ad cõcordiam revocat. Ioseph venundatus à fratribus & relegatus non tantum patienter ignoscit, sed & gratuita

tuita frumenta venientibus largiter & clementer impartit. Moyſes ab ingrato & perfido populo contemnitur frequenter, & penè lapidatur, & tamen lenis & patiens pro eiſdem Deum deprecatur. In David verò, ex quo ſecundum carnem Chriſti nativitas oritur, quàm magna & mira & Chriſtiana patientia, habuiſſe in manu ſæpe, vt Saul Regem perſequentem ſe & interficere concupiſcentem poſſet occidere, & tamen ſubditum ſibi & traditum maluiſſe ſervare, nec rependiſſe inimico vicem, ſed occiſum adhuc inſuper & vindicaſ-

ſe:

ſe? Tot deniq; Prophetæ interfecti, tot martyres glorioſis mortibus honorati, qui omnes ad cœleſtes coronas patientiæ laude venerunt. Neq; enim poteſt accipi dolorum & paſſionum corona, niſi præcedat in dolore & paſſione patientia.

Quàm ſit autem patientia vtilis & neceſſaria, fratres dilectiſſimi, vt manifeſtius & plenius poſſit noſci, (18) Dei ſententia cogitetur, quam in origine ſtatim mundi & generis humani Adam præcepti immemor & datæ legis tranſgreſſor accepit, tunc ſciemus quàm patientes

in

in iſto ſeculo eſſe debeamus, qui ſic naſcimur, vt preſſuris iſtic & conflictationibus laboremus. Quia audiſti, inquit, vocem mulieris tuæ, & manducâſti ex illa arbore', de qua ſola præceperam tibi ne manducares, maledicta terra erit in omnibus operibus tuis. In triſtitia & gemitu edes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos ejiciet tibi, & edes pabulum agri. In ſudore vultus tui edes panem tuum, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es, quia terra es, & in terram ibis. Huius ſententiæ vinculo colligati omnes & conſtricti

cti ſumus, donec morte expuncta de iſto ſeculo recedamus. In triſtitia & gemitu ſimus neceſſe eſt omnibus diebus vitæ noſtræ. Edamus panem neceſſe eſt cum ſudore & labore. Vnde vnuſquiſq; cum naſcitur, & hoſpitio huius mundi excipitur, initium ſumit à lachrymis: & quãvis adhuc omnium neſcius & ignarus, nihil aliud novit in illa ipſa prima nativitate, quàm flere, providentia naturali lamentatur. Vitæ mortalis anxietates, & labores, & procellas mundi, quas ingreditur, in exordio ſtatim ploratu vel gemitu rudis anima

ma teſtatur. Sudatur enim quamdiu iſtic vivitur & laboratur. Nec ſudantibus & laborantibus poſſunt alia magis quàm patientiæ ſubvenire ſolatia, quæ cum apta ſint & neceſſaria in iſto mundo vniverſis, tum magis nobis qui diabolo impugnante plus quatimur, qui in acie quotidie ſtantes inveterati & exercitati hoſtis colluctationibus fatigamur, quibus præter varias & aſſiduas tentationum pugnas & in perſecutionum quoq; certamine patrimonia relinquenda ſunt, ſubeundus carcer, portandæ catenæ, animæ impendendæ, gladius

dius, beſtiæ, ignes, cruces, omnia deniq; tormentorum ac pœnarum genera fide & virtute patientiæ perferenda, Domino ipſo inſtruente & dicente: Hæc locutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis, in ſeculo autem preſſuram habebitis, ſed fidite, quoniam ego vici mundum.

Ioan. 16.

Si autem qui Diabolo & mundo renunciavimus, preſſuras & infeſtationes Diaboli & mundi crebrius ac violentius patimur, quanto magis patientiam debemus tenere, qua adiutrice & comite omnia infeſta toleremus. Domini & Magiſtri noſtri ſalutare præcep-

Matt. 10.

præceptum eſt: Qui tole-
raverit, inquit, vſq; ad fi-
nem, hic ſalvus erit. Et i-
terum: Si permanſeritis, *Joan. 9.*
inquit, in verbo meo, verè
diſcipuli mei eritis, & cog-
noſcetis veritatem, & ve-
ritas liberabit vos. Tole-
randum & perſeveran-
dum eſt, fratres dilectiſſi-
mi, vt ad ſpem veritatis &
libertatis admiſſi, ad veri-
tatem & libertatem ipſam
pervenire poſſimus, quia
hoc ipſum quòd Chriſtia-
ni ſumus, fidei & ſpei res
eſt, vt autem ſpes & fides
ad fructum ſui poſſint per-
venire, patientiâ opus eſt.
Non enim præſentem glo-
riam ſequimur, ſed futu-
ram,

Rom.8. ram, ſed quod Apoſtolus Paulus monet, dicens: Spe ſalui ſumus. Spes autem quæ videtur, non eſt ſpes: quod enim videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus ſperamus, per patientiam expectamus, propterea expectatio & patientia neceſſaria eſt, vt id quod eſſe cœpimus, impleamus, & quod credimus; & ſperamus, Deo præſtante capiamus. Deniq; alio in loco idem Apoſtolus iuſtos & operantes, & fænoris diuini incremento cœleſtes theſauros ſibi recondentes, vt patientes quoq; ſint, inſtruit & docet, dicens: Ergo dum

Galat.6. tempus

tempus habemus, operemur quod bonum est ad omnes, maxime verò ad domesticos fidei. Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus. Admonet, ne quis impatiens in operatione deficiat, ne quis tentationibus aut avocatus, aut victus, in medio laudis & gloriæ itinere desistat, & pereant præterita, dum quæ cœperant, desinunt esse perfecta. Sicut scriptum est: Iustitia iusti non liberabit eum in quacunq; die exerraverit. Et iterum: Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam: quæ vox adhortatur patienter

Ezech. 33. Apo. 3.

enter & fortiter perſeverare, vt qui ad coronam & laudem iam proximam nititur, durante patientia coronetur.

Patientia autem, fratres dilectiſſimi, non tantum bona cuſtodit, ſed & repellit aduerſa. Spiritui ſancto favens, & cœleſtibus ac divinis cohærens, contra facta carnis & corporis, quibus anima expugnatur & capitur, virtutum ſuarum propugnaculo reluctatur. Inſpiciamus deniq; pauca de multis, vt de paucis intelligantur & cætera; (19) Adulterium, fraus, homicidium, mortale crimen eſt. Sit fortis

&

& ſtabilis in corde patientia, & nec adulterio ſanctificatum corpus & Dei tẽplum polluitur, nec juſtitiæ dicata innocentia contagione fraudis inficitur, (20) nec poſt geſtatam euchariſtiam manus gladio & cruore maculantur. Charitas fraternitatis vinculum eſt, fundamentum pacis, tenacitas ac firmitas vnitatis, quæ & ſpe & fide maior eſt, quæ & opera & martyria præcedit, quæ nobiſcum ſemper æterna apud Deum in regnis cœleſtibus permanebit. Tolle illi patientiam, & deſolata non durat. Tolle ſuſtinendi tolerandiq; ſubſtanti-

Guſtatam.

am, & nullis radicibus ac viribus perſeverat. Apoſtolus deniq; cum de charitate loqueretur, tolerantiam & patientiam illi iunxit: Charitas magnanima eſt, charitas benigna eſt, charitas non æmulatur, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum, omnia diligit, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Oſtendit inde illam perſeuerare tenaciter poſſe, quòd norit omnia ſuſtinere. Et alio in loco: Suſtinentes, inquit, invicem in dilectione ſatis agentes, ſervate vnitatem ſpiritus in coniunctione pacis: probavit nec vnitatem

1 Cor. 13.

tem ſervari poſſe, nec pacem, niſi ſe invicem fratres mutuâ tolerantiâ foveant, & concordiæ vinculum patientiâ intercedente cuſtodiant.

Quod deinde, vt non iures neq; maledicas, vt tua ablata non repetas, vt accepta alapa & alteram maxillam verberanti præbeas, vt fratri in te peccanti non tantum ſepties, ſed ſeptuagies ſepties, ſed omnia omnino peccata dimittas, vt diligas inimicos tuos, vt pro adverſarijs & perſecutoribus precem facias? Non poteris iſta perferre niſi tolerantiæ & patientiæ teneas firmitatem,

quod factum videmus in Stephano, qui cùm à Iudæis vi & lapidibus necaretur, non ſibi vindictam, ſed interfectoribus veniam poſtulabat, dicens: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Sic eſſe oportuit primum martyrẽ Chriſti, qui martyres ſecuturos glorioſa morte præcurrens, non tantum Dominicæ paſſionis prædicator eſſet, ſed & patientiſſimæ lenitatis imitator. Quid dicam de ira, de diſcordia, de ſimultate, quæ in Chriſtiano eſſe non debent? Sit patientia in pectore, & hæc illic locum habere non poſſunt: aut ſi audire tentaverint

taverint, citò discedent exclusa, vt domicilium pacificum perseveret in corde, Deum vbi pacis delectet habitare. Admonet deniq; Apostolus & docet, dicens: Nolite contristari spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia auferantur à nobis. Si enim Christianus à furore & contentione carnali tanquam de maris turbinibus excessit, & tranquillus ac lenis in portu Christi esse iam cœpit, nec iram aut discordiam debet intra pectus admittere, cui

nec malum pro malo reddere licet, nec odisse. Necnon ad varia quoq; carnis incommoda, & crebros corporis durosq; cruciatus, quibus humanum genus quotidie fatigatur & patitur, patientia necessaria est. Nam cum in illa prima transgressione præcepti firmitas corporis cum immortalitate discesserit, & cum morte infirmitas venerit, nec possit firmitas recipi, nisi cum recepta & immortalitas fuerit, oportet in hac fragilitate atquè infirmitate corporea luctari semper & congredi, quæ luctatio & congressio non nisi patientiæ viribus

viribus poteſt ſuſtineri. Examinandis autem nobis atq; explorandis diverſi importantur labores, & multiplex tentationũ qualitas irrogatur, de iacturis facultatum, de ardoribus febrium, de cruciatu vulnerum, de amiſſione charorum.

Nec aliud magis iniuſtos diſcernit & iuſtos, quàm quòd in adverſis per impatientiam queritur & blaſphemat iniuſtus, patientiâ iuſtus probatur, ſicut ſcriptum eſt: In dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe, quoniam igne probatur aurum atq; argentum. Sic Iob examinatus *Eccl. 2.*

natus est & probatus est, ad summum fastigium patientiæ laudis virtute provectus. Quanta adversus eum jacula zabuli emissa? quanta admota tormenta? jactura rei familiaris infligitur, numerosæ sobolis orbitas irrogatur, dives in censu Dominus, & in liberis pater ditior, nec Dominus repentè, nec pater est: accedit vulnerum vastitas, & tabescentes ac defluentes artus vermium quoq; edax pœna consumit. Ac ne quid omnino remaneret, quod non Iob in suis tentationibus experiretur, armat zabulus & vxorem illo antiquo nequitiæ suæ

vsus

vſus ingenio, quaſi omnes per mulierẽ decipere poſſet & fallere, quod fecit in origine: nec tamen Iob gravibus ac denſis conflictationibus frangitur, quo minus inter illas anguſtias & preſſuras ſuas Dei benedictio victrice patientia prædicetur. Tobias quoq; poſt iuſtitiæ & miſericordiæ ſuæ opera magnifica luminum amiſſione tentatus, in quantum patienter cæcitatem pertulit, in tantum granditer Deum patientiæ laude promeruit.

11 Atqui vt magis, fratres dilectiſſimi, patientiæ bonum luceat, quid mali è contrario impatientia im-

portet, consideremus. Nã vt patientia bonum Christi est, sic è contra impatientia diaboli malum: & sicut in quo habitat & manet Christus, patiens invenitur, ita impatiens semper existit, cuius mentem diaboli nequitia possidet. Exordia deniq; ipsa videamus. Diabolus hominem ad imaginem Dei factum impatienter tulit, inde & perijt primus & perdidit. Adam contra præceptum cœleste cibi lethalis impatiens, in mortem cecidit, nec acceptam divinitus gratiam patientia custode servavit: & vt fratrem Cain perimeret, sacrificij

eius

eius & muneris impatiens fuit: & quòd Esau de majoribus ad minora descendit, primatus suos per impatientiam lentis amisit. Quid Iudaicus populus circa beneficia divina perfidus & ingratus? Nonne quòd à Deo primum recessit, impatientiæ crimen fuit? dum Moysi cum Deo loquentis moras non potest ferre, prophanos Deos ausus est postulare, vt itineris sui duces nuncuparet caput bubulum & terrestre figmentum: nec vnquam ab eadem impatientia destitit, quominus semper docilitatis & divinæ admonitionis impatiens Prophetas

phetas ſuos & juſtos quoſ-què perimendo ad crucem quoq; & ſanguinem Domini proſiliret. Impatientia etiam in Eccleſia hæreticos facit, & ad Iudæorũ ſimilitudinem contra Chriſti pacem & Charitatem rebelles ad hoſtilia & furioſa odia compellit. Et ne longum ſit ſingulatim recenſere omnia, omnino quæ patientia ædificat ad gloriam, impatientia deſtruit ad ruinam.

12 Quare fratres dilectiſſimi, & bonis patientiæ & impatientiæ malis diligenter expenſis, patientiam per quam in Chriſto manemus, vt venire cum Chriſto

Chriſto ad Deum poſſimus, plena obſervatione teneamus, quæ copioſa & multiplex non anguſto fine concluditur, nec brevivibus terminis coërcetur. Latè patet patientiæ virtus, & vbertas eius ac largitas, de vnius quidem nominis fonte proficiſcitur, ſed exundantibus venis per multa gloriarũ itinera diffunditur, nec proficere aliquid in actibus noſtris poteſt ad conſummandam laudem, niſi inde conſummationis accipiat firmitatem. Patientia eſt, quæ nos Deo & commendat & ſervat: Ipſa eſt, quæ iram temperat, quæ linguam

guam frænat, mentem gubernat, pacem cuſtodit, diſciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium ſimultatis extinguit, coërcet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet: tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laborioſam caſtitatem, in coniunctis & maritatis individuam charitatem: facit humiles in proſperis, in adverſis fortes, contra injurias & contumelias mites, docet delinquentibus citò ignoſcere: ſi ipſe delinquas, diu & multum rogare: tentationes expugnat, perſecutiones

nes

nes tolerat, paſſiones & martyria conſummat. Ipſa eſt quę fidei noſtræ fundamenta firmiter ponit: ipſa eſt quæ incrementa ſpei ſublimiter provehit: ipſa actum dirigit, vt tenere poſſimus viam Chriſti, dum per eius tolerantiam gradimur: ipſa efficit, vt perſeveremus filij Dei, dum patientiam patris imitamur.

Sed quoniam plurimos ſcio, fratres dilectiſſimi, vel pondere iniuriarum ingentium, vel dolore de ijs qui adverſum ſe graſſantur & ſæviunt, vindicari velociter cupere, nec (21) in illum extremi judicij diem malorum

malorum retributionem differre nobiſcum hortamur interim amplectemini patientiæ bonum, vt in iſtis fluctuantis mundi turbinibus, & (22) Iudæorum ſive gentilium & hæreticorum quoq; perſecutionibus conſtituti, patienter expectemus vltionis diem, nec ad vindictam doloris noſtri (23) querulâ feſtinatione properemus, cum ſcriptum ſit: Expecta me, dicit Dominus, in diem reſurrectionis meæ in teſtimonium, quoniam iudicium meum eſt ad congregationes gentium, vt excipiam reges, & effundam ſuper eos iram meam.

Soph. 3.

am. Expectare nos jubet Dominus & futuræ vltionis diem forti patientia ſuſtinere: qui & in Apocalypſi loquitur dicens: Ne ſignaveris verba Prophetiæ libri huius; quia jàm tempus in proximo eſt, vt & ij qui perſeverant nocere, noceant, & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: juſtus autem adhuc iuſtior fiat, ſimiliter & qui ſanctus eſt, ſanctior. Ecce venio citè, & merces mea mecum eſt, reddere vnicuiq; ſecundum facta ſua. Vnde etiã clamantes martyres, & ad vindictam ſuam dolore erumpente properantes, expectare ad-

Apoc. 22.

adhuc jubentur, & temporibus conſummandis implendiſquè martyribus præbere patientiam. Et cũ apparuiſſet, inquit, agnus quintum ſigillum, vidi ſub ara Dei animas occiſorum propter verbũ Dei & martyrium ſuũ, & clamaverunt voce magna, dicẽtes: quouſquè Domine ſanctus & verus non judicas & vindicas ſanguinem noſtrum, de ijs qui in terris inhabitant? Et datæ ſunt eis ſingulis ſtolæ albæ, & dictum eſt eis vt requieſcerent breui adhuc tempore, donec impleatur numerus conſervorum & fratrum eorum, quiq; poſtea occiderentur exemplo

Apoca. 6.

exemplo ipſorum.

Quando autem veniet ſanguinis iuſti divina vindicta, declarat per Malachiam Prophetam ſpiritus ſanctus, dicens: Ecce dies Domini venit ardens quaſi clibanus, eruntq; alienigenæ & omnes iniqui ſtipula, & ſuccendet illos adveniens dies, dicit Dominus: quod item legimus in pſalmis, vbi Dei judicis prædicatur adventus cenſuræ ſuæ (24) maieſtate venerandus; Deus manifeſtus veniet, Deus noſter, & non ſilebit. Ignis in conſpectu eius ardebit, & in circuitu eius procella nimia, advocabit cœlum deſurſum, *Malach. 4.* *Pſal. 49.*

ſurſum, & terram deorſum, vt ſeparent populum ſuum. Colligite illi juſtos eius, eos qui diſponunt teſtamentum ejus in ſacrificijs: & annunciabunt cœli juſtitiam ejus, quoniam Deus iudex eſt. Nam & Eſaias eadem prænunciat dicens: Ecce enim Dominus
Eſa. 63. ſicut ignis veniet, & ſicut procellæ currus eius, retribuere in ira vindictam: in igne enim Domini judicabuntur, & gladio ejus vulnerabuntur. Et iterum:
Ibid. 42. Dominus Deus virtutum prodibit & comminuet bellum, excitabit certamen, & clamabit ſupèr inimicos ſuos cum fortitudine:

ne: Tacui, tacui, nunquid ſemper tacebo? Quis autem eſt hic qui tacuiſſe prius dicit, & non ſemper tacebit? vtiq; ille, qui ſicut ovis ad victimam ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe ſine voce non apperuit os ſuum: vtiq; ille qui non clamavit, neq; in plateis vox eius audita eſt: vtiquè ille, qui non fuit contumax neq; contradixit, cum dorſum ſuum poneret ad flagella, & maxillas ad palmas, faciem ſuam non avertit (25) à fœditate ſputorum: vtiq; ille qui cum accuſaretur à ſacerdotibus & ſenioribus, nihil reſpondit & admi- *Eſa. 53.*

rante

rante Pilato patientissimũ silentium tenuit. Hic est qui cum in passione tacuerit, in vltione postmodum non tacebit. Hic est Deus noster, id est, non omnium, sed credentium fidelium Deus, qui cum in secundo aduentu venerit manifestus, non silebit: nam cum in humilitate prius fuerit occultus, veniet. in potestate manifestus.

Hunc expectemus iudicem, fratres dilectissimi, judicem & vindicem nostrum, Ecclesiæ suæ populum, & ab initio mundi justorum omnium numerum secum pariter vindicaturum: qui ad vindictam suam

am nimium festinat & properat, considereret quia nec dum vindicatus est ipse, qui vindicat. Pater Deus præcepit filium suum adorari, & Apostolus Paulus divini præcepti memor ponit & dicit: Deus exaltavit illum, & donauit illi nomen, vt sit super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: & in Apocalypsi Angelus Ioanni volenti adorare se resistit & dicit: Videne feceris, quia conservus tuus sum & fratrum tuorum. Iesum Dominum adora: Qualis Dominus Iesus, & quanta patientia,

Philipp. 2.

Apo. 19.

tientia, vt qui in cœlis adoratur, necdum vindicetur in terris? Huius patientiam, fratres dilectiſſimi, in perſecutionibus & paſſionibus noſtris cogitemus. Huius adventui plenum expectationis obſequium præbeamus. Nec defendi ante Dominum ſervi irreligioſa & inverecunda feſtinatione properemus. Inſiſtamus potius & elaboremus, & toto corde vigilantes, atq; ad omnem tolerantiam ſtabiles dominica præcepta ſerveмus, vt cum illa iræ & vindictæ dies venerit, non cum impijs & peccatoribus

bus puniamur, ſed cum juſtis & Deum timentibus honoremur. *Amen.*

D AN-

ANNOTATIONES in libellum S. Cypriani *de bono patientiæ.*

Liber iſte Collatus eſt cum 4. MS. qui brevitatis cauſa, literis. A. B. C. D. deſignantur in annotationibus ſequentibus.

1 AD Audientiam.] *Codex D. legit*, audiendum. *Sed receptam lectionem magis probo: ſimiles enim phraſes ſunt apud Cicer. de ſenect:* audientiam ſibi facit ſenis

oratio. *& Livium. 5. dec. lib. 3.* audientiam facere præconem iuſſit.

2 Sermo & ratio ſalutaris efficaciter diſcitur.] *quidam codices quibus vſus eſt Pamelius paulò aliter legunt:* ratio ſpiritualiter & efficaciter. *Atq; ſic edidit Morelius: rationem vero pro propoſito accipit.*

3 Nam ſi ſapiens ille eſt.] *MS. a.b. legunt* vtiq; ſi patiens ille eſt. *Et hanc lectionem magis probat Pamelius, eamq; ſecutus Eraſmus.*

4 Apparet illic veram.] Veram *adiecit Pamelius è quibuſdam* MS. *& exc. Sed deeſt in noſtru: habet tamen Eraſmus & Morelius. Hic vero imitatur Tertullianum, qui cap. 2. de patientia, ait.* nobis exercendæ patientiæ auctoritatem, nõ affectatio humana caninæ æquanimitatis ſtupore formata, ſed vivæ ac cæleſtis diſciplinæ divina diſpoſitio delegat Deum ipſum oſtendens patientiæ exemplum.

5 Eſt enim nobis cum Deo.] *Locum hunc citat D. Auguſtinus: lib. 4. Contr. 2. Epiſt. pelag. c. 9.*

S. Augustinus, postquam ex Cypriani dictis collegit gratiam Dei (cui uni tribuendum est quòd recte vivimus) omnem gloriandi materiam hominibus tollere, subiungit ab ea gratia, non divellendam esse liberam illam voluntatem, qua donantur electi, qui ex nolentibus fiunt volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes. Et concludit his verbis. Discant ergo qui Catholici esse dedignantur, siquid mali non faciunt, & si quid boni faciunt non in seipsis sed in Domino gloriari. *Vbi etiam hunc libellum Cypriani*

priani epiſtolã vocat. Goulart.

6 Adverſus malitias irrogans.] MS. *a. b. & codex vetus Morelij legunt* malitiam irrogatam. *c. d. Manutius, Morelius, & Eraſmus,* malitias irrogatas, *& paulo poſt.* [quod item] *deeſt in* MS. *noſtris & Manutio.*

7 Suſtinentiæ & longanimitatis.] *Sic primus Manutius, pro eo quod prius excuſi &* MS. 4. ſuſtentationis *& vel exc.* ſuſtentionis. MS. *a. b. d. legunt,* ſuſtinentiam & patientiam contemnis?

8 Ad perfectum discipulos erudiret.] *Bland. cod.* profectum. *Prius malo, eo quòd præcepta perfectionis sint, quæ proponit; sic Pamelius an.* 18. *cui regerit Goulartius. Omnia Dei præcepta nos ad morum perfectionem vocant, nec Pamelius cum alijs pontificijs scriptoribus consentit; qui concilia non præcepta hoc Mathæi cap.* 5. *præscribi asserunt, quorum errorem Pamelius tacite perstringit. Perfectio autem electorum Dei in eo consistit vt se imperfectos in seipsis, in Christi obedientia & merito perfectos esse agnoscant. Fallacia*

cia est in voce perfectionis: legalem enim perfectionem cum Evangelica pontificij confundunt: item quid lex & Euangelium requirat à nobis, quid item præstare, & quando, quomodo, in quo, possumus, quæ sit obedientia piorum, & qualis imperfectio & perfectio in ea consideranda sit, non observant. Hæc autem cum in scriptis Theologorum de peccato, de lege, & de justificatione passim legantur, non repetimus.

9. Omnes deniq; actus ejus.] *Hic pro more suo magistrum suum Tertullianum*

cap.

cap. 3. imitatur multis ijſdem penè verbis etiam vtens, vt pridem adnotavit Rhenanus.

10 Mortalitate interim poſita,] *Hic locus eſt commodè intelligendus, quales ſunt complures etiam in alijs libris Orthodoxorum.* Immortalitate, inquit, interim poſita fieri ſe & mortalem patitur. *Neq. enim filius Dei deſiit eſſe immortalis poſtea quam aſſumpſit humanam naturam.* Sic olim Eraſmus. Quem ſequutus Manutius, ſiue quis alius in pauculis iſtis annotationibus ad Romanæ editio-

editionis calcem adiectis. Nõ desunt plerique huiusmodi tropi loquẽdi apud priscos doctores, qui ad pium & Catholicum sensum debent intelligi. Quemadmodum & Apostolus dixit, Exinanivit seipsum formam servi accipiens, nec propterea immortalis esse desiit & impassibilis, & verus Dei filius.

11 Qui judam potuit.] *omnia hæc Christi patientiæ exempla ex Tertulliano mutuatus est.*

12 Cæci oculos paulo ante formâsset.] *Eorum senten-*

ſententiam confirmat hîc Cyprianus, qui novos oculos cæco nato formatos fuiſſe à Chriſto volunt. Sunt autem pulcherrimæ antitheſes.

13 Innocentia ipſa, & ipſa juſtitia.] *Significantior eſt hæc quorundam MS. lectio, quàm cæterorum & exc.* ipſe, & ipſe.

14 Benignus & patiens.] *Ramelius ait, etiam hîc recens ſe adjeciſſe*, & patiens. *Ex Cambronenſi codice. Verùm ſic olim Eraſmus, quamvis omiſit Manutius, & Morelius.*

Et

Et paulo post nomen Dei, *vbi legitur.* Paulum quoq; Apostolum Ecclesia Dei non haberet. *At deest in Omnibus Nostris MS.*

15 Petrus super quem Ecclesia, Domini dignatione fundata est.] *Pamelius hîc lectorem refert ad epist.* 55. *ibidemq; annot.* 27. gloriatur vnicum locum in libello de vnitate Ecclesiæ ita confirmare pontificis Romani primatum, vt non possit magis. Sed *vide nostras annotationes in eximium istum librum Cypriani, quibus abunde probavimus S. Cyprianum fœdissime*

me

nè depravari & laciniis adititiis miserè detorqueri. Vid. annot. 3. 4. 5. 6. quas hîc describere non lubet. Sed nos item lectorem epistolas. 71. & 75. consulere optamus, quas tamen frustra quarat in editione Romana Pauli Manutij, qui eas omisit planè, & Iacobus Pamelius nunquam editas fuisse consultiùs existimet: papam enim audaciæ, insolentiæ, superbiæ, imperitiæ, apertè arguit Cypr. & egregiè ostendit, Petrum non vendicâsse sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsisse. *Nobis igitur licebit, cum Augustino*

contra

contra gaudentium Donatistam replicare, dum Cypriano teſte innituntur, Cypriano teſte mentiuntur. *lib. 2. cap. 2.*

16 Tradebat autem ſe judicanti ſe injuſte.] *rectius puto noſtri MS.* tradebat autem judicanti ſe injuſte.

17 Adverſus fratrẽ parricidam.] *Eraſmus & Morelius legunt*, fratricidam. *Sed priorem lectionem confirmant varij MS, & quod libro de Zelo & livore ſic loquatur Cyprianus.* Hinc parricidia nefanda cæperunt

runt, dum Abel iuſtum, Cain zelat iniuſtus. *Et certe lege Pompeia de parricidiis cavetur, vt parricidij teneatur, non ſolum qui patrem, & matrem, interfecerit, ſed & qui fratrem, ſororem, patruelem, matruelem, filium, filiam, nepotem, nurum, alioſue propinquos occiderit.*

18 Dei ſententia cogitetur.] *Locum hunc citat libro citato. c. 8. d. Auguſtinus ad aſſertionem peccati originalis.*

19 Adulterium, fraus, homicidium, mortale crimen

men eſt.] *Mortale pro eo quod mortem infert, apud veteres aut raro, aut non reperitur, præterquam hoc loco apud Cyprianum, & ſupra ſub finem epiſt. ad Aſſurit: apud Tertullian. lib. de pudicitia. Et apud auctorem comment. in apoc. D. Aug. aſcripti initio. 3. c. vbi etiam mortalis criminis ſeu delicti meminerunt: alij veteres, aut crimina duntaxat, appellant, aut peccata gravia principalia, ſeu capitalia---- &c. Sic Pamelius; cui reſpondet Goulartius, iuxta communem noſtrorum ſententiam. Omnia peccata in ſe conſi-*

derata

derata, mortalia ſunt, ſeu mortem inferunt, quia ſunt contemptus & offenſio ſummi & infiniti boni; ideo ſummam & æternam pœnam merentur: fiunt autem Dei electis venialia, propter Chriſtum, qui iudicium Dei pro nobis tulit, & peccatorum remiſſionem obtinemus in eius ſanguine, quemadmodum docet Scriptura: Omnium peccatorum, quorum non fit & obtinetur remiſſio, ſupplicium erit æternum: non autem quoad pœnarum gradus, quia in illa pœnarum æternitate graviorum peccatorum pœnæ erunt graviores; id quod diſerte

ſerte docet Chriſtus. Luc. 12. de ſervo ſciente & non ſciente voluntatem Domini.

20 Nec poſt Geſtatam Euchariſtiã manus.] *Quũ manu non guſtetur Euchariſtia, ſed olim geſtari conſueta ſit, prorſus illud ex Cambronenſi codice ſubſtituendum duxi (inquit Pamelius) pro eo quod erat,* Guſtatam. *Vide librum de lapſis.*

Quamvis ſæpe ſe prodit Pamelius animumq́, ritus omnes novitios ac planè ſuperſtitioſos ſtabiliendi, & antiquitatis etiam fuco qua

poteſt

poteſt arte, velandi, nullibi tamen fraudulentius, quàm hoc ipſo in loco; vt enim ritum iſtum Euchariſtiam circumferendi, oſtentandi à pontificijs hodie vſurpatum confirmaret, non erubeſcit Pamelius vim plane inferre S. Cypriano, eumq; nolentem in ſuas partes pertrahere, repugnantibus plane omnibus MS. & veteribus editionibus; præterquam ſi dijs placet Cabronenſi codice, quem à Monacho ſubleſtæ fidei exaratam fuiſſe, nemini dubium eſſe poteſt. Ac ſane ſi melioris eſſet notæ, non eſt tamen cur vnicum hunc codicem cum nulla

nulla cogit ratio aut neceſſitas, præferamus cæteris omnibus, tam editis, quàm manu exaratis, qui omnes conſtanter legunt, Guſtatam. *atq; ita ediderunt Manutius, Morelius Eraſmus, Gryphius: quibus etiam ſuffragantur duo in Lambethiana Bibliothecâ codices vetuſti, quos nuper videre licuit beneficio Reverendiſſimi Georgij Archiepiſc. Cantuarienſ. neq; vero quenquam præter Cambronenſem ſibi vel levitèr faventem adducere potuit Pamelius. Sed accuratius paulo verba & ſcopum Cypriani hic perpendamus.* Nec poſt geſtatam

ſtatam Euchariſtiam manus. *quæ ſequuntur, omittit Pamel. in annotatione, & quaſi de re quapiam manu perficienda loqueretur Cyprianus, cum ad vocem,* Manus *ventum eſt, cætera reticet. At ſi ſcopus Cypriani attendatur, & præcedentia verba expendantur, videbimus Cyprianum oſtẽdere, quomodo* patientia cõtra facta carnis & corporis, virtutum ſuarum propugnaculo reluctatur. *Et primò de adulterio loquitur, deinde de fraude, poſteà de homicidio; nihil hîc de geſtatione Euchariſtiæ. Ad librum de lapſis nos refert*

Pamelius

Pamelius, vbi annotat. 82. oſtendit Cypriani tempore fuiſſe obſervatum, vt in Manus traderetur corpus Domini, eandemq; conſuetudinem diu poſtea perdurâſſe, vt conſtat ex canone 20 Rothomagenſis concilij, quo cavetur, vt non niſi in os immittatur à ſacerdote, quemadmodum obſervatur hodie. Verùm nihil ibidem affert de circumgeſtatione, quæ hodie vſurpatur. Nuper verò inſtitutam ævo ſequiori conſtat, quam hic tanquam Cypriani ætati non ignotam inſinuare cupijt Pamelius. Eam autem poſt adorationem inſtitutam, demùm

mùm consecutam fuisse vero consentaneum est. Tempore enim Lateranensis concilij circa ann. D. 1215. Innocentius tertius tantùm constituit vt Eucharistia sub fideli custodia clavibus & seris adhibitis conservetur. Capitulo, statuimus, de custodia Eucharistiæ. Adhuc nihil innotuit de circumgestatione. Sed mox Honorius tertius, circa ann. D. 1220. primus instituit, vt Sacramentum adoraretur. Et paulo post Vrbanus quartus, circa ann. 1260. festum diem & solennem processionem primus excogitavit (fatente Bellarmino.)

De Enchar. lib. 4. c. 30.

Sed

ſed vt ipſe in bulla fatetur, inde quod quibuſdam Catholicis diuinitus reuelatum fuerat, feſtum illud generaliter in Eccleſia celebrandum. Fuit autem mulier quadam Eva recluſa à qua Vrbanus in minoribus adhuc conſtitutus reuelationem illam accepiſſe ſcribitur. Et Vrbanus quidem Pontifex factus, nouum illud feſtum ex reuelatione mulierculæ ſtatim inſtituit, & vbiq; celebrandum diſtrictè mandando præcepit: ſed ſicut gloſſa dicit, (de reliquiis & veneratione Sanctorum) illa conſtitutio vrbani non fuit recepta ab om-

nibus. Sed post annos 50. Clemens quintus, an. 1311. in Viennensi concilio constitutionem illam innovavit, & illam ab omnibus præcepit servari. At si quis diligenter consideret bullam istius institutionis, quæ extat in Clementinis lib. 3. tit. 16. *nulla prorsus in illa bulla mentio fit circumgestationis, & ostentationis, nec ulla syllaba ibi extat, de pane consecrato per octiduum in monstrantiam includendo, circumgestando et ostentando, quod pridem observavit Kemnitius. Neq; etiam mentio ibi fit de tali spectaculo, Pompa, et externa*

na adoratione, circumgestati et ostentati panis: Sed finis institutionis illius festi ita ibi explicatur, vt studeant se taliter præparare quòd huius precioſiſſimi ſacramenti mereantur fieri participes illa die, poſſintq; ipſum ſuſcipere reverentur, & eius virtute augmentum conſequi gratiarum. Hæc ſunt verba bullæ. In quibus manifeſtè dicitur, propter vſum, participationem, ſeu communionem ſolenniorem, inſtitutum primò fuiſſe illud feſtum: & in illo vſu, in quo debita reverentia & devotio requiritur, gratias agendas eſſe

Christo, pro immenso hoc beneficio, quòd corpus suum in cibum, & sanguinem in potum nobis tribuit. Sed *vide bullam. Noviter ergo hæc excogitata & introducta sunt, & ne vrbani quidem, aut Clementis sæculo nota, nedum Cypriani. Sed inquit Bellarminus de Euchar: lib. 4. cap.* 30. Novitas non potest reprehendi. *At si quispiam è nostris tale quid effutiret, statim Novatores audiremus. Verùm qui plura cupit de gestatione Eucharistiæ, & de festo corporis Christi, præsertim de solenni pompa, Cum Dominus papa in pontificalibus*

bus equitat; adeat præter libros cæremoniarum Romanæ Eccleſiæ celeberrimum Iuellum noſtrum in defenſione Apologiæ. Parte ſecunda; cap. 15. diuiſ. 1. Hardingum ibid: Bellarm. de Euchariſt. lib. 4. cap. 30. Kemnitium 2ª parte exam. pag. 91.

21 Nec in illum extremi judicij diem.] *Eraſmus Manutius, aliíq; legebant olim.* Nec illud in extrema parte reticendum eſt. *Sed vt Morelius recte obſervat, manci erant hoc loco impreſſi, & hanc lectionem primus reſtituit, quamvis Pamel-*

Pamelius recens se eam adiecisse scribat.

22 Iudæorum siue Gentilium & Hæreticorum.] *Copula & abest à* MS. *a. b. videntur hinc passi Carthaginenses non Hæreticorum modo, Novatianorum, & Gentilium, sed & Iudæorum persecutiones, atq; adeo hinc orti libri Tertulliani & Cypriani adversus Iudæos.*

23 Querula & invidiosa, festinatione.] *Quamvis Pamelius*, & inuidiosa. *Addidit ex Cambronensi codice, delenda tamen videntur iuxta* MS. *a.b.c.d.*

24 Maieſtate veneran-dus.] *Eraſmus & Manutius* verendus. *At prius rectius.*

25 A fæditate ſputorum.] *Manutius & quidam impreſſi, legunt,* fæcunditate. *Peſſime.*

FINIS.